triangulum P Z S. In quo P Z. est 34 grad. Z S. est 47 grad. & P S est 69 grad. ut etiam ex illius trianguli, P Z S, angulis, fient hujus mutuò latera. Nam Z S P angulus grad. 31. 6′. 5″. illius, est latus Q R hujus: & angulus Z P S grad. 42. 29′. 59″. illius, est latus R T hujus: & tertii anguli illius, qui est grad. 120. 24′. 49″. reliquum ad semi-circulum, quod est 59. 35′. 11″. est latus Q T hujus. Cujus rei demonstrationem exhibent Bartholomæus Pitiscus, Adrianus Metius, & alii. Eam igitur hac epitome minimè repetendam censeo.

12. *Unde trianguli Sphærici datis tribus angulis, facili conversione acquiruntur latera.*

Vt præcedentis trianguli Q R T dentur anguli Q 47. R 111. & T 34. Quærantur autem latera. Pro angulo quovis unico, verbi gratia (ut supra) pro R 111. sumatur suum ad semicirculum reliquum 69. grad. Inde positis 47. 69. & 34. pro lateribus, ut in triangulo superiore P Z S factum est, per quemvis ex tribus modis suprascriptis, quære illius angulos, & invenies contra latus 47, angulum 42. 29′. 59″: & contra latus 34, angulum 31. 6′. 5″. & contra latus 69 (quod pro 111 posuimus) reperies angulum 120. 24′. 49″. Ideo in triangulo oblato Q R T, pro latere R T. subtendente angulum Q 47, pone 42. 29′. 59″. Et pro latere Q R. subtendente angulum T. 34, pone 31. 6′. 5″. verùm pro latere Q T subtendente angulum R 111, pone 59. 35′. 11″. quæ sunt reliquum graduum 120. 24′. 49″. ad semi-circulum: quia prius pro 111 sumpseras suum ad semi-circulum reliqunm, scilicet 69. Et ita ex angulis per conversionem acquires latera.

Admonitio.

EX hac laterum per angulos datos inventione tres variæ solvuntur hujus, & cujuscunque trianguli quæstiones. Vt in triangulo P Z S. Ex datis, hora diei, plaga solis, & angulo situs vel positionis solis, hæc præcedens satisfacit quæstioni, qua vel primò elevatio poli, vel secundò

secundò altitudo solis, vel tertiò declinatio solis quæratur. Ex octava itaque sect. præcedentis cap. 5. & septima ac duodecima hujus, sexaginta habes variarum quæstionum solutiones, quæ in quodque triangulum cadunt. Nec his plures ex multiplici trium quarumlibet partium compositione oriri possunt variationes. Perfectam igitur habes, & absolutam triangulorum tam Sphæricorum, quam planorum doctrinam.

CONCLVSIO.

SAtis ergo jam ostensum est quod sint, quid sint, & cuius usus sint Logarithmi: Eorum enim beneficio absque multiplicationis, divisionis, aut radicum extractionis molestia, omnis Geometricæ quæstionis solutionem logisticam promptissimè exhiberi, tum apodicticè demonstravimus, tum exemplis utriusque Trigonometriæ docuimus. Promissum itaque mirificum Logarithmorum canonem habetis, eiusque amplissimum usum: quæ si vobis eruditioribus grata fore ex rescriptis vestris intellexero, animus mihi addetur, ad tabulæ condendæ methodum in lucem etiam proferendam. Interim hoc brevi opusculo fruamini, Deoque opifici summo, omniumque operum bonorum opitulatori laudem summam & gloriam tribuite.

Errata ante lectionem emendanda.

PAg. 42. linea 10. pro 11 *lege* ıı. *Pag. 43. lin. 22. pro* 6′ *lege* 6. *Ibiãe lin. 33. pro &* S. *lege Et* S. I. *Pag. 48. lin. 16. pro* 5000000. cupla *lege* 5000000.$^{\text{cupla}}$, *& intellige quinquies millies millecupla. Pag. 49. lin. 27 pro* λ P in, *lege* λ P in ∘, *Pag. 50. lin. 2. pro* criculo *lege* circulo *Pag. 55. lin. 12. pro* Sect. *lege* Sec. *Pag. 56. lin. 3. pro* angulis fient, *lege* angulis, fient. *Ibidem lin. 28. pro* mi-circulum *lege* semi-circulum. *Cætera prudens Lector facilè emendabit.*

Sequitur Tabula seu canon Logarithmorum.